



**SODALITAS LATINA MEDIOLANENSIS**

**Desiderii Erasmi adagia  
in aedibus Ambrosianis  
annis XIV et XV supra bismillesimum praelecta**

*Chiliadis primae centuria nona*

**839 - De fructu arborem cognosco**

Ἐκ τοῦ καρποῦ τὸ δένδρον γινώσκω, id est “E foetu cognosco arborem”, e factis hominem judico. Quae paroemia<sup>1</sup> etiam in Evangelicis litteris<sup>2</sup> exstat, quemadmodum ostendimus in operis initio. Vestis sordida, rasmus vertex, jejunium, oratio, frons tetrica<sup>3</sup> folia sunt, quae saepenumero mentiuntur, quemadmodum illa ficus<sup>4</sup>

---

<sup>1</sup> Ex graeco in latinum sero inductum significat proverbium; οἶμη, est fere canticum; confer προοίμιον, lat. prooemium.

<sup>2</sup> Lc, VI, 43-45: «Non est enim arbor bona, quae facit fructus malos, neque arbor mala, faciens fructum bonum. Una quaeque enim arbor de fructu cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvam. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, et malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur».

<sup>3</sup> *Tetricus, a, um*, idem ac tristis, severus: t. disciplina Sabinorum, t. deae (Parcae), t. tuba (bellica).

<sup>4</sup> Matth. 21, 19: «Ed videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea nisi folia tantum, et ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in

mentita est Christo, sed pro Christi gloria patienter tolerare infamiam, bene velle malevolis nec rependere injuriam, fructus est arboris bonae. Haec si quis constanter et alacriter praestat, arguunt animum sincerum. Nam simulatio nec diuturna potest esse<sup>5</sup> nec fieri potest, quin alicunde cedens naturae prodat animi morbum.

*Chiliadis primae centuria septima*

---

sempiternum! Et arefacta est continuo ficulnea».

<sup>5</sup> Cfr. Cic. Off. II, 43: «Vera gloria radices agit atque etiam propagatur, ficta omnia celeriter tamquam flosculi decidunt, nec simulatum potest quicquam esse diuturnum».

## **602 - Duabus sedere sellis**

Duabus sedere sellis<sup>6</sup> est incertarum esse partium et ancipiti fide, ambabus satisfacere velle. Quo verbo nove composito ἀλλοπρόσαλλον Homerus appellat Martem, id est nunc his, nunc illis partibus faventem. Macrobius in Saturnalibus cenis: Laberius mimus in senatum a Caesare lectus, cum a Cicerone *ad consessum non reciperetur dicente: Reciperem te, nisi anguste sederemus*, nimis mordaciter respondit: *“Atqui solebas duabus sellis sedere!”*, objiciens *tanto viro lubricum fidei. Sed id, quod Cicero dixit “nisi anguste sederemus” scommata erat in Caesarem, qui in senatum passim tam multos admittebat, ut eos quattuordecim gradus capere non possent.* Hactenus Macrobius.<sup>7</sup> Est autem omnium consensu turpissimum cum utraque parte colludere. At Solon legem tulit, qua punirentur hi, qui in civitatis tumultu neutri partium adhaesissent.

---

<sup>6</sup> *Sella*, ae a sedendo, est supellex ad sedendum apta. Varia fuere sellarum genera: curulis, gestatoria, pertusa (cfr. Cato I, 57, 11), familiarica; apud Vegetium adhibetur pro ephippio. Sellaria sunt jumenta, quibus insidere licet, sellariae meretrices quae sedentes emptores alliciunt. Sellularii sunt opifices qui sedentes opus faciunt, velut aurifices, sutores, qui, ut ait Livius, militiae minime sunt apti. Respondet italico “sedentario”.

<sup>7</sup> Macr. Sat., 7, 3, 8.

## **925 - Summum jus, summa injuria**

Summum jus, summa injuria, hoc est tum maxime disceditur ab aequitate, cum maxime superstitiose haeretur legum litteris<sup>8</sup>. Id enim summum jus appellant, cum de verbis juris contenditur neque spectatur, quid senserit is, qui scripsit. Nam voces ac litterae quasi legum summa cutis est. Eam ineptiam quorundam superstitiosorum juris interpretum copiose simul et eleganter illudit M. Tullius in actione Pro Murena. Terentius<sup>9</sup>: *Verum illud, Chreme, / Dicunt: jus summum saepe summa malitia est.*

M. Tullius Officiorum libro primo<sup>10</sup>: *Ex quo illud 'summum jus, summa injuria' factum est jam tritum sermone proverbium.* Columella primo Rei rusticae libro<sup>11</sup>: *Nec sane est vindicandum nobis quicquid licet. Nam summum jus antiqui summam putabant crucem.* Citatur et Celsus adolescens libro Pandectarum quadragesimo quinto, titulo De verborum obligatione, capite Si servum Stichum, qui scripserit quaestionem esse de bono et aequo, *in quo genere plerumque sub auctoritate juris scientiae periculose erratur*<sup>12</sup>. Itidem Paulus libro quinquagesimo, titulo De regulis juris : *In omnibus quidem, maxime tamen in jure, aequitas spectanda est*<sup>13</sup>. Simili figura Seneca libro De ira primo dixit summo animo : *Si intelligis non ex alto venire nequitiam, sed summo, quod aiunt, animo inhaerere*<sup>14</sup>.

---

<sup>8</sup> Corinth. II, 3, 6: Littera enim occidit, Spiritus autem vivificat.

<sup>9</sup> Eaut. 795-796.

<sup>10</sup> Off. I, 10, 33.

<sup>11</sup> I, 7, 2.

<sup>12</sup> Dig. XLI, 1, 5: ibi subtiliter quaestio de bono et aequo, seu de aequo et justo, in moris faciendis promissisque solvendis agitur.

<sup>13</sup> Dig. L, 17, 90: juris consulti plerique aequitatem juri praevalere putant.

<sup>14</sup> De ira, I.

## 2004 - Aedilitatem gerit sine populi suffragio <sup>15</sup>

Plautus in Sticho<sup>16</sup>: *Sine populi suffragio tamen aedilitatem hic quidem gerit. Ubi quis imperiosior est in alieno negotio aut in aedibus alienis. Nam Plautus ad parasitum respicit in domo non sua mandantem et imperantem, non aliter ac sua*<sup>17</sup>. His confine est quod habetur apud Ciceronem libro tertio De legibus<sup>18</sup>: *Sed quaero quid hac re sit turpius quam sine provocatione senator, legatus sine mandatis. Item in tertia decima Philippica*<sup>19</sup>: *Senator voluntarius lectus ipse a se.*

---

<sup>15</sup> Causa cur hoc adagium selegerimus nota est, pro pudor, Italis, quibus jamdudum jus suffragii deminutum est: candidati enim non ab ipsis creantur, sed nominantur a factionibus.

<sup>16</sup> Actus secundi scena secunda, Paneyris (Philumena) uxor Epignomi; Gelasimus parasitus; Pinacium puer. Pinacium afferrit scopas ac nassiternam cum aqua ut pavimenta purgentur jubet; Gelasimus parasitus aegre hoc ferens proverbium in puerum talia imperantem adhibet.

<sup>17</sup> Re vera Gelasimus est parasitus non Pinacium, qui illi imperat ut domum purget.

<sup>18</sup> III, 8. Sic recenciores textum restituerunt: *Sed quaero quid reapse sit turpius, quam sine procuratione senator legatus, sine mandatis, sine ullo rei publicae munere?* Cicero enim cavendum esse censebat ne cui senatori, qui propter negotia privata peregrinabatur, nomine et commodis legati R.P. abuti posset.

<sup>19</sup> XIII, 28. Est etiam Asinius quidam senator voluntarius lectus ipse per se: apertam vidit Curiam post Caesaris mortem, mutavit calceos.

## 1643 - Argenteis hastis pugnare

Ἀργυρέαις λόγχοις μάχεσθαι, id est *Argenteis hastis*<sup>20</sup> *pugnare*, dicuntur qui, cum negotium alio pacto confici nequit, muneribus et largitione<sup>21</sup> perficiunt. Nihil autem tam arduum, quod pecunia non explicetur, quemadmodum eleganter dictum est a M. Tullio, actione in Verrem secunda, *nihil esse tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit*<sup>22</sup>. Ortam aiunt paroemiam ab oraculo quodam Apollinis Pythii, qui Philippo regi<sup>23</sup> consulenti, quo pacto posset victoria potiri, responderit ad hunc modum :

Ἀργυρέαις λόγχοισι μάχου, καὶ πάντα νικήσεις, id est *Argenteis pugna telis, atque omnia vinces*,

videlicet innuens, ut quosdam largitionibus ad proditorem sollicitaret atque ita consecuturum quae vellet.

---

<sup>20</sup> *Sarisae* appellabantur Macedonum hastae, ac metonimice Macedones ipsi; sarisophori milites his armati, qui phalangis erant nervus. Proverbium non modo largitiones innuere, sed etiam argentifodinas videtur, quibus fuit insignis Macedonia.

<sup>21</sup> Ut munus, ita largitio diversa significare potest, sed largitio seu in bonam seu in malam partem accipitur: largus enim est qui bernevolentiam aliorum consecatur, quos beneficiis vel donis cumulat; tamen alii ita se gerunt, tantum quia prodigi sunt indole et amicitiarum appetentes, alii ut pretio eos corrumpant, quos sibi utiles fore existimant. Nostra autem aetate homines, qui rei publicae dant operam, largitionis suspicionem haud immerito recipiunt...

<sup>22</sup> In Verrem, I, 4.

<sup>23</sup> Philippus, huius nominis secundus (Pellae anno 382, Aigiis 336 ante Chr.n.) Alexandri Magni pater, ab anno 359 ad annum 336 Macedonibus regnavit. Memoriae proditum est eum saepenumero Pythiam consultum adiisse.

*Chiliadis secundae centuria septima*

## **1694 - Pecuniarum cupiditas Spartam capiet, praeterea nihil**

Ἄ φιλοχρηματία Σπάρταν ἔλοι, ἄλλο δὲ οὐδέεν, id est  
*Una fames auri Spartam capiet subigetque,  
Praeterea nihil.*

De iis, qui sola pecunia possunt expugnari, alioquin invicti. Natum adagium ab oraculo, quo responsum est Alcameni et Theopompo Spartae regibus tum demum vincendos esse Lacedaemonios, cum aurum et argentum in pretio coeperint habere. Respondet apophthegmati Philippi Macedonum regis, qui putavit nulla arcem tam munitam esse, quin capi posset, modo asino pateret accessus onusto auro. Respondet et Danaes fabulae, a qua nulla custodia auri insultum arcere potuit.<sup>24</sup> Meminit M. Tullius in secundo libro Officiorum<sup>25</sup> et Plutarchus in Laconicis.<sup>26</sup>

---

<sup>24</sup> Cfr. Hygini *Fabulae*, 63: «Danae Acrisii et Aganippes filia. Huic fuit fatum, ut, quod peperisset Acrisium interficeret; quod timens Acrisius, eam in muro lapideo praeclusit. Iovis autem in imbrem aureum conversus cum Danae concubuit, ex quo compressu natus est Perseus. Quam pater ob stuprum inclusam in arca cum Perseo in mare deiecit. Ea voluntate Iovis delata est in insulam Seriphum, quam piscator Dictys cum invenisset, effracta ea vidit mulierem cum infante, quos ad regem Polydectem perduxit, qui eam in coniugio habuit et Perseum educavit in templo Minervae. Quod cum Acrisius rescisset eos ad Polydectem morari, repetitum eos profectus est; quo cum venisset, Polydectes pro eis deprecatus est, Perseus Acrisio avo suo fidem dedit se eum numquam interfecturum. Qui cum tempestate retineretur, Polydectes moritur; cui cum funebres ludos facerent, Perseus disco misso, quem ventus distulit in caput Acrisii, eum interfecit. Ita quod voluntate sua noluit, deorum factum est; sepulto autem eo Argos profectus est regnaque avita possedit».

<sup>25</sup> Cic. Off II, 77.

<sup>26</sup> Plut. Mor. 239 e.

## 1646 - Atticus moriens porrigit manum

Ἀττικὸς ὑπέχει τὴν χεῖρα κάποθνήσκων, id est Atticus porrigit manum, etiam cum moritur. Huic adagio locum fecit Atheniensium in muneribus captandis et aucupandis lucris insatiata cupiditas<sup>27</sup>. Unde et apud Aristophanem<sup>28</sup> frequens jocus in τοὺς δωροδοκοῦντας<sup>29</sup>. Auctor Diogenianus<sup>30</sup>.

---

<sup>27</sup> Suos habet quique populus avaros! Christiani Judaeos, Britanni Scotos, Itali Ligures...

<sup>28</sup> Ranae, 173 seqq.

<sup>29</sup> Vulgatissimum est illud *Timeo Danaos et dona ferentis* (Aen. II, 49), quo Laocoon suos ne equum ligneum in urbem admittant frustra hortatur.

Cui respondet illud *Ista tua subita benignitas vigilare me jubet* depromptum ex Fabularum Phaedri libro I:

*Repente liberalis stultis gratus est,  
verum peritis inritos tendit dolos.  
Nocturnus cum fur panem misisset cani,  
obiecto temptans an cibo posset capi,  
'Heus', inquit 'linguam vis meam praecludere,  
ne latrem pro re domini? Multum falleris.  
Namque ista subita me iubet benignitas  
vigilare, facias ne mea culpa lucrum'.*

<sup>30</sup> Grammaticus Eracleensis, qui II post Chr. n. saeculo floruit, lexicon linguae graecae composuit, quod late vulgatum est. Δωροδοκοῦντες appellantur qui dona accipientes (< δῶρον δέχομαι) largitionibus corrumpi se patiuntur.



## **XII - Per publicam viam ne ambules**

Λεωφόρου μὴ βαδίζειν, id est Per publicam viam ne ambules<sup>31</sup>. Divus Hieronymus<sup>32</sup> exponit: *Ne vulgi sequaris errores*. Nunquam enim tam bene cum rebus humanis actum est, ut optima plurimis placuerint. Unde quidam hoc sic efferunt: *Viam regiam<sup>33</sup> declinato, per semitas ingreditor*. Quod quidem praeceptum non abhorret ab Evangelica doctrina, quae monet, ut declinata via spatiosa per quam ambulant plerique, per angustam ingrediamur viam a paucis quidem tritam, sed ducentem ad immortalitatem<sup>34</sup>.

---

<sup>31</sup> Annumeratur Pythagoe praeceptis.

<sup>32</sup> Adv. Ruf. 3, 39.

<sup>33</sup> Sic in universum vocatur via praecipua. Apud Aegyptios Judaeosque Via Regia ducebat a Memphi ad Euphratis ripam. Apud Romanos in eadem regione sic vocabant viam Trajanam Novam.

<sup>34</sup> Mt. 7, 13-14: *Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est, quae ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via est, quae ducit ad vitam! Et pauci sunt qui inveniunt eam!*

## **XVI - Extra publicam viam ne deflectas**

Ἐκτὸς λεωφόρου μὴ βαδίζειν, id est *Extra viam publicam ne ingrediaris*<sup>35</sup>. Hoc quoque refertur inter Pythagorica symbola<sup>36</sup> a Diogene Laertio<sup>37</sup>, tametsi superiori diversum. Neque est quod hanc miremur pugnantiam, quandoquidem – ut recte praeceptum est – loquendum ut plures, sapiendum ut pauci. Ita sunt quaedam, in quibus cum vulgo convenire dexteritatis est; sunt rursus, in quibus a vulgo quam maxime dissidere virum bonum oportet. Recte Flaccus :

*Interdum et vulgus rectum videt, est ubi peccet*<sup>38</sup>.

---

<sup>35</sup> Et hoc annumeratur sex et triginta Pithagorae praeceptis.

<sup>36</sup> *Symbolus*, *i* vel etiam *symbolum*, *i* est signum. *Symbola*, *ae* autem proprie significat pecuniam, quae in commune a convivoribus confertur. Hoc loco Erasmus Apostolorum symbolo innuere videtur, quo fidem suam Christiani inde a primordiis confiteri solebant, quasi significaret praeceptum inviolandum.

<sup>37</sup> 8, 17

<sup>38</sup> Epist. II, 1, 63. Augusto dicata.

## **2007 - Edentulus vescentium dentibus invidet**

Divus Hieronymus epistolam illam eruditissimam<sup>39</sup> quam ad Magnum<sup>40</sup> oratorem inscripsit hujusmodi clausit proverbio: *Cui quaeso ut suadeas ne vescentium dentibus edentulus invideat et oculos caprearum talpa contemnat*, hoc est ne quod ipsi non contigit, aliis invideat<sup>41</sup>. Sic enim est ferme hominum quorundam ingenium ut quisque laudet quantum se sperat assequi posse; si quid ultra vires suas esse senserint, id negant disci oportere. Breviter paucos invenias qui quod in sese desperent, in aliis probent, idque non alia in re magis quam in litterarum studiis. Hieronymus videtur Graecam illam reddidisse sententiam :

Ἀὐτὸς πενωθεὶς τοῖς ἔχουσι μὴ φθόνει, id est  
*Ne pauper ipse iis invide qui possident.*

---

<sup>39</sup> Ep. LXX, 6, ad Magnum, oratorem Urbis, qua epistola explicat cur in dictis suis quandoque philosophorum et poetarum sententias interserat.

<sup>40</sup> Fortasse idem est Flavius Magnus cui hic titulus pertinet: Flavius Magnus vir clarissimus rhetor urbis aeternae, cui tantum ob meritum suum detulit senatus amplissimus, ut sat idoneum judicaret, a quo lex dignitatis inciperet, praeceptor fraudis ignarus et intra breve tempus universae patriciae soboli lectus magister, eloquentiae ita inimitabilis saeculo suo, ut tantum veteribus possit aequari. (*Bullettino di archeologia cristiana*, anno I, n. 2, pag. 14-15).

<sup>41</sup> Hoc proverbium citatur a Thoma Campanella in *Apologia pro Galilaeo mathematico florentino* «ubi describitur utrum ratio philosophandi, quam Galilaeus celebrat, faveat Sacris Scripturis an adversetur». In exponenda enim tertia hypotesi, allata sententia Hieronymi, subjungit : «Non enim nisi ex invidia, quod talia ipsi ignorent. aut scire desperent, aut iterum discipuli fieri verecundentur, quum nunc vocentur magistri, sublimioribus incommodos modernis ingeniis sese efficiunt».

## 1482 - **Trutina justius**

Δικαιότερον σταχάνης, id est *Justius trutina*<sup>42</sup>, Doricum proverbium de iis, qui insigni incorruptaque sunt aequitate. Dores enim τὴν τρυτάνην, id est *trutinam*, σταχάνην vocant. Est autem id librae genus, quo vel minutissimum ponderis momentum sentitur dignosciturque. Latini quoque exactam aequalitatem *aequilibrium* appellant. Unde et *aequa lance* fieri dicitur, quod pari jure fit, citra personarum respectum. Ita Modestinus<sup>43</sup> Pandect. lib. XLII, titulo De re judicata: *Quod et in persona mulieris aequa lance servari aequitatis suggerit ratio*. Item Justinianus<sup>44</sup> Cod. lib. v., titulo De naturalibus liberis: *Quapropter sancimus in hujusmodi casibus omnis liberos, sive ante dotalia instrumenta editi sunt, sive postea, una eademque lance trutinari*<sup>45</sup>.

---

<sup>42</sup> Ut appareat quid inter trutinam sit et stateram, illud Ciceronis referre videtur (De Or. II, 38, 159): «Haec enim nostra oratio multitudinis est auribus accommodanda, ad oblectandos animos, ad impellendos, ad ea probanda, quae non aurificis statera, sed populari quadam trutina examinantur». Proprie statera, ut ait Calepinus, ponderantur res sine lancibus, idest sine vasculis, in quorum altero pondus, in altero res ponderanda imponitur. Trutina autem acus est seu examen, quo aequilibrium indicatur, sed metonymice adhibetur pro tota statera. Aliud instrumentum, quo pondera pensantur, libra vel bilanx appellatur, sed longe a superioribus differt, quum duobus sit lancibus instructum.

<sup>43</sup> Aelius Florianus Herennius Modestinus jurisconsultus, natione Dalmata, III p. Chr. n. saeculo floruit. Ulpiani discipulus, complures de jure libros scripsit, qui una cum Ulpiani, Papiniani, Caii Paulique operibus, in causis fontes certae et legitimae habebantur. Ejus Pandectae, duodecim libris comprehensa, in Corpus Juris Justinianeum confluerunt.

<sup>44</sup> Flavius Petrus Sabatius Justinianus, cognomento Magnus, a. Chr. CDLXXXII natus, DXXVII Orientis imperator Constantinopoli creatus, DLXV obiit. Ei Codex juris romani, anno DXXXV editus, debetur.

<sup>45</sup> CJ.5.27.10.3: Imperator Justinianus «Quapropter sancimus (...) trutinari et omnes suos et in potestate suis existere genitoribus, ut nec prior nec iunior ullo habeatur discrimine, sed ii, qui ex isdem maioribus procreati sunt, et simili perfruantur fortuna». a 529 d. xv k. oct. chalcedone decio vc. cons.

Adsimili figura dixit Nicarchus<sup>46</sup> in Epigrammate :  
Γέγονεν δ' ὀρθότερος κανόνος id est  
Rectior est factus, regula quam ulla siet.

---

<sup>46</sup> Nicharcus, epigrammatum scriptor, saeculo I p. Chr. n. floruit.

## 2185 - A puro pura defluit aqua

Theognis<sup>47</sup> in sententiis elegiacis:

Εἴ μ' ἐθέλεις πλύνειν, κεφαλῆς ἀμίαντον ἀπ' ἄκρης  
Αἰεὶ λευκὸν ὕδωρ ῥεύσεται ἡμετέρης

id est

*Rursum aqua de summo mihi vertice defluet usque  
Limpida, si innocuum forte lavare pares.*

Hoc distichon<sup>48</sup>, quoniam subesse proverbium videbatur, adscripsimus. Quadrabit in hominem usquequaque inculpatum et innocentem, quem etiam si quis aliquando vocet in crimen, tamen non solum fama illius non contaminatur, verum etiam illustrior redditur<sup>49</sup>. Nec sine causa laudi tribuunt illud Catoni Censorio<sup>50</sup>,

---

<sup>47</sup> Theognis Megarensis, poeta elegiacus, inter saecula VI et V a. Chr. n. floruit.

<sup>48</sup> "In veterum metrica proprie dicitur de quavis stropha, quae duobus versibus constet, at praesertim hodie dicitur de *disticho elegiaco*, quod constituitur hexametro et pentametro. Disticho scribuntur maxime elegiae atque epigrammata. Optimum autem distichon habebatur quod fere suo sensu praeditum esset" (Springhetti, *Lexicon Linguisticae et philologiae*, Romae, 1962).

<sup>49</sup> Non tam laudari a bonis pulchrum est, quam vituperari a pessimis praeclarum... Operae pretium duco hic describere titulum, quem Jovianus Pontanus fano Virgini dicato atque in vico Tribunalium Neapoli sito, insculpi iussit:

EXCELLENTIUM VIRORUM  
EST IMPROBORUM  
NEGLIGERE  
CONTUMELIAM  
A QUIBUS ETIAM  
LAUDARI TURPE

Titulus sumptus est e loco Plutarchi, ab Erasmo nostro in latinum converso, quo narratur de Chiorum inurbanitate erga magistratus lacedaemonienses. Eodem usus est nuperrime publicus accusator haud ignotus, ut quosdam alienae famae laceratores notaret.

quod toties accusatus et vocatus in jus, nempe quater et quadragies, semper iudicum sententiis fuerit absolutus.

---

<sup>50</sup> Liceat ficticiam Catonis percontationem inferius describere, quam abhinc quindecim fere annis composui, ut telehorasi emitteretur. Series percontationum in spectaculo cui titulus Amor Roma II, moderante Michaele Mirabella, ineunte hoc saeculo in vulgus est per intervalla proposita.

## **2576 - Aequales calculi**

Ἰσοὶ ψῆφοι, id est *Aequales calculi*<sup>51</sup>, si quando parum abest, ut condemnetur aliquis, et tamen absolvitur, aut cum nutat animus ambigitque utram in partem se deflectat, rationibus hinc atque hinc velut ex aequo adhortantibus ac deterrentibus. Quemadmodum est apud Terentium<sup>52</sup>:

*Cum in dubio est animus, paulo momento huc vel illuc impellitur.*

Suidas<sup>53</sup> ostendit metaphoram sumptam a prisca consuetudine iudiciorum, qua reus aequalibus iudicum sententiis absolvebatur, at non citra periculum. Cur autem potius absolvendum, quam damnandum reum veteres existimarint, cum pares essent sententiae, multas causas reddit Aristoteles in problemate quodam<sup>54</sup>. Multis enim nominibus visum est convenire, ut, reliquis paribus, reo magis quam actori faveatur: vel quod accusator accedit paratus ac praemeditatus<sup>55</sup>, reus ad multa non praevisa compellitur respondere; vel quod consentaneum sit reum, ut qui majore periculo dicat, ob metum quaedam praetermisisse potius quam actorem; vel quod in ancipiti negotio potius ad eam partem oporteat vergere<sup>56</sup>,

---

<sup>51</sup> CALCULUS, I e calce derivatus in universum lapillum significat; adhibetur tamen metonymicos in lusibus, in rationibus, in suffragiis, ut ex enuntiatis hic allatis conicitur: lusus calculorum (Plin. ep. VII, 24, 5); calculi atque rationes, calculos ponere, subducere; album calculum adicere errori nostro (Plin. ep. I, 2, 5).

<sup>52</sup> Andr. 266.

<sup>53</sup> Suida vel Suda lexicon, seu potius encyclopaedia, est saeculo X graeca lingua byzantinorum compositum, quo fere XXX milia lemmatum ordine litterarum dispositorum continentur.

<sup>54</sup> 29, 13.

<sup>55</sup> In textu adhibito, a Bompiani editore a. MMIII vulgato, non solum nonnulla verba exciderunt, sed etiam pro "praemeditatus" scriptum legitur "praemedineum", quod vocabulum nullibi exstat; alii, iique antiquiores, aut "consentaneum" (Jean Le Clerc, ed. 1703) scribunt, aut "praemeditatus sit reus". Fides vero habenda est textui vere critico, quem habet editio Operum Omnium ASD dicta.

<sup>56</sup> In textu Bompianico "verget", pro "vergere". Scilicet qui aliquid e latino



ubi, si forte sit erratum, peccetur levius: at minus est malum absolvere nocentem quam innocentem damnare, praesertim in capitalibus causis, ubi, si contingat errare judicem, non est quo sarciat in posterum erratum suum extincto jam homine; contra, si elabatur nocens, poterit alio iudicio poenas dare; vel quod accusatio propior est suspicioni malevolentiae quam defensio; quare, cum in caeteris nihil appareat discriminis, de actore potius male iudicamus quam de reo. Haec et alia quaedam huiusmodi tradit Aristoteles<sup>57</sup>. Igitur ut tutissimo liberatur a causa, qui calculis omnibus<sup>58</sup> absolvitur, ita periculo proximus fuisse videtur, qui paribus calculis jam quasi favore quodam elabatur.

---

interpretari aggrediuntur, nostris quidem temporibus, saepe nesciunt, aut saltem neglegunt linguam latinam, neque curant rationem criticam.

<sup>57</sup> *Probl.* XXIX, 13, 951.

<sup>58</sup> Cunctis suffragiis.